



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1656**

§. 166. Et post pusillum rursus qui astbant dicebant Petro: Vere ex illis es.  
v. 70.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

um sit excidere à gratia Dei, & quomodo occasiones irretiant, etiamnotantes.

**C**antabiles sunt, Domine, iustificationes & misericordiarum tuarum fidelibus seruistis, qui in schola mansuetorum & humilium didicerunt bonitatem & disciplinam tuam, & post multos agones & sudores parauerunt admirabiles victorias, tua gratia, quas celebrabunt sine fine in gloria. Tu cognouisti pretia eorum, & perseverantem fidelitatem, qui oderunt animam suam, & continuerunt appetitum rebellem fræno timoris & desiderio serenissimi vultus tui. Quam è contrario tristes & lugubres sunt iniquitates animæ insipienti & præuaricanti! tota die contristatus incedit peccator. non est serenitas, non pax in vijs eius. A generatione ista libera nos Domine.

§. 166. *Et post pusillum rursus quibus astabant dicebant Petro: Vere ex illis es. v. 70.*

Quia ex garrula ista ancilla, adstantes paulo ante audierant proplari Petrum quod ex illis, qui Christo adhæsisent vnus esset, ideoque circumstantes acrius eum intuebantur, vultum Petri, habitum, mores, gestusque, contemplantes etiam pallorem faciei, & mutationem vultus, & timorem quendam in gestibus, incessu & loquela, inter se primò mussitantes de Petro, demum confidenter & quasi cum asseueratione obiecerunt ei, dicentes: *Vere ex illis es.* quare negas veritatem & mentiris coram nobis? cum & lingua Galilæa & accentus te prodant, esse Galilæum, & modus agendi indicet te esse Iesu Nazareni Galilæi discipulum vel amicum.

**Q**uis hic timorem Petri enarrabit? membra frigore quodam affuso perhorruere, timebat & tremebat, nesciens quid responderet, qua viâ, quomodo se posset saluare è manibus ita affirmantium, nisi a que mentiendo & negando Christum Dominum, atque illi affirmabant eum esse ipsius discipulum, imo amplius, illi enim affirmabant suum sermonem particula assertoria, **VERE**, Petrus per anathematizationem, id est execrationem seu dirarum imprecationem ac iuramentum propositionem suam. *Nescire hominem de qua loquerentur.* O Petre libertas arbitrij tui fecit hoc opus tuum, & illorum; agnosco me in te & illis, Christi gratia de peccato eduxit, & hanc spero operaturam in me, tu Pontifex & Vicarie Christi probatus per omnia, intercede nunc pro me, vt sicuti sæpe, pro dolor, secutus sum te in culpa, sic etiam sequar in agenda pœnitentia.

§. 167. *Nam & Galilæus es. v. 70.*

Galilæam intelligere est aliquanti momenti ad historiam sacram,  
oppor-